ORATIO
DE
TABERNIS MONTANIS,
VETERIS OLIM COMITATVS,
NVNC DVCATVS, BIPONTINI OPPIDO,
HABITA ET RECITATA
A. D. IV. KAL. OCTOBR. ANNO cIↄIↄccxxx,
CVM SOLLEMNIS GYMNASII BIPONTINI
PERAGERETVR LVSTRATIO;
A
FRIDERICO IVLIO MARX,
TABERNAEMONTANO,
PRIMAE CVRIAE ADSCRIPTO.

BIPONTI
EXCVSA IN TYPOGRAPHEO
GEORGII NICOLAI,
ANNO AERAE DIONYSIANAE
cIↄ Iↄ CCXXX.

BVRCARD. GOTTHELF STRVVE

in praefatione ad Corpus Hiſtoriae Germaniae.

Quum plura ſint boni ciuis officia, tum illud, meo quidem animo, non ultimum debet duci, patriae excolere Hiſtoriam, deque incrementis eiusdem atque ornamentis ſerio cogitare.

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMISQVE,

GEORGIO FRIDERICO MARX,

SERENISSIMI DVCIS BIPONTINI CONSILIARIO,

ET PRAEFECTO TABERNAEMONTANO,

PATRVO SVO AC PROPATRI

OMNI PIETATE ET REVERENTIA AETATEM COLENDO,

ET

FRIDERICO IOACHIMO MARX,

SERENISSIMI DVCIS BIPONTINI

IN PRAEFECTVRA TABERNAEMONTANA AB COMMISSIS

NEGOTIIS, ET CONSISTORII, QVOD REFORMATIS

BIPONTI EST, ADSESSORI,

PATRI

VT INDVLGENTISSIMO, ITA MAXIME DEVENERANDO,

SALVTEM, PERPETVAMQVE FELICITATEM

OBSERVANTER PRECATVR

FRIDERICVS IVLIVS MARX.

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIQVE,


I id maxime in ſcriptis quibuscunque dedicandis ſpectare decet, uti in eorum appareant nominibus, quibus & plurimum debemus, & qualiacunque pietatis noſtrae monumenta grata, acceptaque fore, certa ſpe praeſumere licet, non aliis profecto ullis, niſi Vobis haec mea offerenda ac dicanda eſt oratiuncula.

Etenim ſi tuam, PATRVE Ampliſſime, ſingularem in me beneuolentiam, cunctaque ea, quae abs Te adhuc ad me ornandum, iuuandumque profecta ſunt; ſi tuum quoque, PATER plurimum uenerande, mirificum ac perpetuum de me ad omne uirtutis, humanitatis, ſapientiaeque decus quam liberaliſſime educando ſtudium, curamque cogito, tantum certe me Vobis unis debere ſentio, quantum nepos patruo, filiusue parenti unquam debuit. Iam, cum nil magis in uotis Vos habere uideo, quam ut in ſtudiorum, quod, ſupre-

pre-

premo Numine fortunante, inii, curriculo alacriter pergam, opereque ipſo oſtendam, Vos, quod impenſae uſque huc feciſtis, non inutiliter apud me collocaſſe, paullo equidem in Vos eſſem iniquior, ſi primum hoc diligentiae, quam bonis litteris impendi, ſpecimen, minus Vos gratum, iucundumque habituros eſſe uererer; maxime cum de *Tabernarum* noſtrarum antiquitatibus, rebusque aliis notatu dignis agat, quas legendi, cognoſcendique cupidos Vos eſſe, uel ideo arbitror, quod in eis non ſolum domicilium ſuauiſſime habetis collocatum, ſed amplos etiam honores non ſine maxima ueſtra laude ſuſtinetis.

Quae cum ita ſint, accipite id uultu, animoque eo, quo me identidem excipere ſoletis, hoc eſt, benigniſſimo, & tabellae ſponſoriae loco a me oblatum putate, quo perpetuam quandam pietatem, obſeruantiam, cultum, obſequiumue paratiſſimum publice Vobis transſcribo, idque ſimul ſancte polliceor, nihil mihi magis curae, penſique futurum eſſe, quam ut ſummis ac perpetuis Veſtris erga me beneficiis ſic utar, ut, quod maxime oro, Veſtram conſuetudinem & liberalitatem in me tuendo conſtantiſſime retineatis.

Quod ſupereſt, DEVM rogo atque obſecro, uti Vos ſaluos, florentesque bono familiae noſtrae, cuius decora eſtis atque columina, ad ſummam ſenectutem uiuere iubeat. VALETE. Dabam ex aedibus Gymnaſii Bipontini prid. Non. Decembris
an. M D CCXXX.



Go uero, *AVDITORES, natalibus, honoribus, meritis, litteris ſplendidiſſimi atque ornatiſſimi*, commilitoni meo, cui in hac dicendi prouincia ſuccedere iuſſus ſum, non parum eo nomine me debere fateor, quod in orationis ſuae argumento, uobis probando, eas expoſuerit rationes, quibus & egomet adductus ſum, ut prae omnibus aliis argumentis, quorum in pertractatione uirium mearum nouum edere potuiſſem ſpecimen, de *Tabernis montanis* mihi dicendum exiſtimarim. Solum enim mihi eae ſunt patrium, idque non minus mihi carum, non minus dulce atque iucundum, quam ei *Bipontum*, de quo, uobis, ut uultus ille ueſter ad omnem humanitatem compoſitus praetulit, benigne approbantibus, diſſeruit. Quam erga patriam, ſi quidem ita loqui fas eſt & conuenit, pietatem meam, quum uobis ſimiliter non improbatum iri confidam, unum id, antequam ad rem ipſam accedam, faciendum puto, ut omni uos obteſter obſeruantia, quam ei praeſtitiſtis, & mihi benigne praeſtetis patientiam. Eam uero uos mihi praebituros eſſe, hoc maiori ſpe atque fiducia praeſumo, quo maiore cum uoluptate

A me-

mecum reputo, quanta beneuolentia cum illum, tum ceteros omnes, qui uſque huc de patriis oppidis hoc in loco uerba fecerunt, proſecuti eſtis; quin, quanta memet ipſum, proxime peracta ſtudioſae iuuentutis luſtratione de unico noſtrae ſalutis auctore, IESV pro nobis patiente, ad crucis ſupplicium ducto, perorantem audiuiſtis.

Quae cum ita ſint, in ipſam ſtatim argumenti tractationem eo ordine ingrediar, quo uobis modo res *Biponti* inſigniores enarratae fuerunt. Atque adeo a prima oppidi noſtri ordiar origine; quae nos hoc breuius detinebit, quo clarior ipſa eſt certiorque.

Eam uero ad Romanos refert. Cum enim illae, quae hic loci ſunt, anguſtiae iter aperirent in Voſagum, iis maxime e re uidebatur, eas praeſepire, munire, firmare, ut barbaros, qui crebris, immo continuis fere irruptionibus Galliae fines infeſtabant, aditu intercluderent. Vt autem militi, in ſtatione hic poſito, ſuppeteret, unde uitam toleraret, ac muniis militaribus obeundis par eſſet, tabernas quaſdam iuxta munitionem iſtam exſtrui curabant, in quibus cum commeatus, tum res, quibus indigebant, aliae reponerentur atque aſſeruarentur. Erat enim ipſis in more poſitum, non ſolum in uiis publicis ac militaribus, ad interiungendum ac manſionem quaerendam, tabernas

nas quasdam excitare*; uerum etiam iuxta fauces, quas operibus clauſerant, id genus hunc ipſum in finem ſtatuere**. Ad has uero annonarias, ut ita loquar,

 do-

* Quales quidem fuere *Tres* illae *Tabernae* in uia Appia, *Claudii Appii Caeci* opere; quarum *Lucas*, ſcriptor *Actorum Apoſtolicorum* diuinus, cap. XXVIII, 15 mentionem facit; earumque rudera ſuo adhuc tempore ſuperfuiſſe ſcribit *Ioan. Henricus* a *Pflaumern* in *Mercurio Italico* p. 316. *Riguae* item illae *perenni fonte Tabernae*, in uia publica, quae Binga olim in Treuiros duxit; quarum *Auſonius* in elegantiſſimo carmine, quod *Moſella* inſcribitur, ℣. 8 meminit: ſitum uero earum longe ueriſimilius nobis *Cluuerus*, uir rerum geographicarum cum ueterum, tum recentiorum ſcientia in primis clarus, lib. II *Germaniae antiquae* cap. XIV p. 62 oſtendit atque explicat, quam *Freherus*, uir ceteroquin doctiſſimus, *commentario* in poema iſtud, ſummi uiri, *C. S. Schurtzfleiſchii*, iudicio, egregio plane, & hiſtoriae Germanicae, quae a Rheno Moſellaque prima initia ducit, perutili, ad h. ℣. col. 10 & 11.

** Argumento nobis ſunt *Tabernae* in Triboccis, uernacula *Elſaſs-Zabern*, & ipſae ad radices Voſagi ſitae. Erant enim munimentum, arcendis barbarorum incurſibus conditum, ut *Ammianus Marcellinus*, grauis ſcriptor, lib. XVI cap. XXI p. 6 diſerte dicit. Quod ipſum, cum ab Alemannis ſubuerſum fuiſſet, *Iulianus* Caeſar omni contentione reparauit, ut idem *Ammianus* l. d. refert, ſimulque monet, *Tribus* his *Tabernis* refectis, inſtauratisque *Germanos arceri*, qui in intima Galliarum penetrare conſueuerant.

Ceterum has *Tabernas*, de quibus *Ammianus* loquitur, non ad *Rhenenſes* trahendas eſſe, ut laudatus modo *Cluuerus* lib. II cap. XII p. 44 uult, pluribus oſtendit *Dionyſius Petauius*, eruditiſſimus ſodalitii Ignatiani Presbyter & ſcriptor, adnotationibus in *Iuliani* epiſtolam ad *S P. Q. Athenienſem* p. 101.

Hunc autem in finem cum *Tabernae* noſtrae *montanae* conditae fuerint, minime hic audiendos cenſeo *Seb. Münſterum* & *Martinum Zeilerum*, qui eas ab caſtris, quae Romani hic locorum habuerint, natas ortasque exiſtimant; *ille*, lib. III *Coſmographiae* cap. CLXXIII p. 660; *hic* uero *Topographiae Palatinatus Rheni & uicinarum regionum* p. 16.

Nec

domos, in regionum faucibus poſitas, quum temporis progreſſu, rationibus ita poſtulantibus, aliae inſuper exſtruerentur aedes, ſenſim ſurrexere uillae, uici, oppida: quorum quaedam *Tabernarum* retinuiſſe appellationem, ſtatim patebit.

Quibus autem diſtincte temporibus Romani hic locorum eiuſmodi tabernas erexerint, condiderintque, cum ſcriptores, quod ſciam, ad unum omnes taceant *, nobis

Nec ſcio, an hic per omnia recto incedat tramite *Bernhardus Hertzog*, non ignobilis ille Chronici Alſatiae ſcriptor, quando lib. III cap. XIII pag. 33, *die drey* Zabern, inquit, *oder* Tabernen, *als* Elſaſs-Zabern, Bergzabern, *und* Rheinzabern, *ſeind veſtungen zu den gevvöhnlichen kriegs-lägern, zur unterhaltung der Römer, gleichſam gaſt-prouiant- oder commiſs-häuſer gevveſen; gebauet zur aufenthaltung und noth-vvehr vvider die Alemannier, vvenn ſie vvollen in Galliam fallen.*

Aniles uero iſtas narratiunculas, queis uulgus loci delectatur, ſibique modo perſuadet, *Tabernas* haſce a *C. Iulio Caeſare* fundatas eſſe, quum in ualle Monaſterienſi cum exercitu in hibernis ageret; modo, *Druſi* caſtra uillae contiguae *Druſvveiler* ortum dediſſe; appropinquationes uero operum loco iſti, qui uulgo *die Approchen* dicitur; legionem Wallonicam item *der Wallenhöle*, ſigna praeterea in monte, uillam *Druſvveiler* & oppidum noſtrum interiacente, erecta & explicata, *dem Fähnleins-berg* nomen feciſſe, indignas, quas refellam, iudico. Siculis enim gerris, ut nemo ſanus diffitebitur, uaniores ſunt.

* Quod ipſum ante nos iam pridem faſſus eſt *Chriſtophorus Cellarius*, uir, qui ueteres auctores ſingulari uerſauit ſtudio, lib. II *Notitiae orbis antiqui*, immenſae tum diligentiae, tum eruditionis opere, cap. III p. 309 his uerbis: *Sunt & tertiae in hoc Rhenano tractu* Tabernae, Montanae *uulgo cognominatae*, Berg-Zabern; *quas uero neſcio, an in quodam ueteri litterarum monimento reperiantur.* Contra ea & *Triboccorum* illas, & *NemetumTabernas*, praeter *Tabulam Peutingerianam* & *Notitiam Imperii*, habet,

nobis definire minime licet. Id uero res loquitur ipsa, nomen oppido huic nostro, patriae meae dulcissimae, inde esse; uti duobus aliis municipiis, iam iam citandis, nomen, quod a *tabernis* hujusmodi ab initio traxerunt, usque huc mansit.

Vocari autem uernaculo sermone solet *Bergzabern**; *Zabern* quidem, littera *T*, quod Alemannis haud infrequens erat, in Z mutata**: *Bergzabern* uero, ut ab eis, quae in *Nemetibus* Rheno propinquae sunt, & *Rheinzabern* dicuntur, nec non *Triboccorum* illis, quae *Elsass-Zabern*, ut nostis,

 etiam

habet *Antoninus* in *Itinerario*, ut uidere est apud *Beatum Rhenanum* lib. III *Institutionum rerum Germanicarum* p. 612, editionis Vlmensis, cum adnotationibus *Iacobi Ottonis*, & *Cellarium* l. d.

* Quo sane nomine plerumque in diplomatibus, documentisue saeculorum superiorum publicis appellatur. Dico plerumque. Nonnunquam enim & simpliciter *Zabern* uocatur: uti in tabulis, quibus *Rudolfus* I Imperator, oppido huic nostro ius ciuitatis dedit, *uilla dicta Zabern*; item in aliis, quibus *Agnes*, Gemini Pontis Comes, an. MCCCXXIII, die Solis ante ferias D. Virgini *Mariae* lustratae festas (*vor unser Frauen Kertztag*) *Gerhardo*, ephebo nobili, *Gerharti Harnasch* de *Wiss-Kirchen* filio, sex libras Hallerorum feudi siue beneficii titulo, in praedio suo extra portam *Tabernarum* harum *montanarum* sito, constituit & adsignauit (*uff unserm hofe, der da gelegen ist ussen an der Stadt Zabern*)

** Id quod plura alia urbium nomina nobis manifestum faciunt; exempli gratia, *Tucconia*, hodie *Tugium*, uulgo *Zug*; *Turicinum* item, *Turegum*, hodie *Zürch*; tum uero *Durae aquae*, uulgo *Zurzach*; ut probe obseruarunt *Guillimannus* lib. I *de rebus Heluetiorum* cap. V § 8 p. 17, lib. III cap. V § 2 p. 150, *Goldastus* in *glossis ad* Walafridum *de uita S. Galli* lib. I cap. IV p. 250 tomi I *Scriptorum Alemannicorum*, nec non *Hottingerus* sectione I *Speculi Tigurini* § I adnotat. lit. c) p. 5.

etiam nunc appellantur, hoc clarius apertiusque distinguatur.

Apposite uero *montanas* nuncupari *Tabernas*, nemo, loci gnarus, facile diffitebitur. Ita enim ad radices iugi, quod Biponto huc excurrit, iacet, ut si eidem esset inditum.

Quod dum dico, colligere uosmet ipsi potestis, ad fines id tractus, quem *VVasgouiam*, latine pagum *Vosagensem* nuncupari, aliquoties ex hoc suggestu iam audiuistis, situm esse*. Cum autem ad iugi huius, cuius in adscensu stat, radices ampla admodum hic se pandat, porrigatque planities, eaque cum fertilis, tum multis uillis, uicisque frequens, facile iudicatu est, quam amoenum, quam laetum, quam commodum itidem obtineat situm. Hortis certe, pomariis, pratis, agris, praecipue uero uineis, ab utraque parte, sinistra potissimum, in collibus adiacentibus plantatis, ac possessoribus impensas in culturam factas largo uini prouentu remunerantibus, cumulate cingitur; ut de castaneto,

quo

* Sunt quidem, qui ad *Alsatiam inferiorem* id referant; eosque inter auctor libri notissimi, cui titulus: *Reales Staats- Zeitungs- und Conuersations-Lexicon*, sub uoce *Bergzabern:* quem tamen falli & errare, non est, quod dubites. Alsatiae quidem contiguum, non autem eius pars est. Confer Scriptum, *quo Rex Sueciae Gallicorum tribunalium, Metensis scilicet & Brisacensis, factis & attentatis in Ducatum Bipontinum se grauatum sentit*, tomo I *Sylloges negotiorum publicorum*, quam *Lunigius* edidit, n. CCLXII pag. 692 & seq.

quo ſuperbit, uberi iuxta atque iucundo, taceam. Adhaec amniculo interluitur, qui, tametſi nullo peculiari inſignitus ſit nomine *, multum tamen, cum oppidi, tum uicinorum rationibus conducit: duodecim enim molas intra limitem contiguum agit. Ceterum, ne interualla, quibus ab locis finitimis diſiunctum eſt, ſicco prorſus pede praeteream, a *VVeiſſenburgo*, Voſagi oppido, quatuor, ab *Landauia*, munitiſſima illa Gallorum ad Queicham urbe, ſex, ab *Rheno* flumine decem millibus paſſuum abeſt, &, ſi id afferre operae pretium eſt, Spirenſis Epiſcopatus dioeceſi comprehenditur.

Haec cum de oppidi noſtri ſitu dixiſſe ſufficiat, exponendum mihi iam eſſet, quorum adhuc in ditione id

* Videas quidem, paſſim riuum hunc *Erlebach* uocari; ſigillatim in *Lexico uniuerſali Fritſchiano*, ſub uoce *Bergzabern*; item in minori illo, quod modo citaui, eadem ſub uoce; tum maxime in *Koeleri*, uiri celeberrimi, *Iſagoge in Geographiam* germanico conſcripta ſermone p. 496; quin, in adnotationibus *Ottonis* ad dictum *B. Rhenani* locum p. 613. Sed minus bene, recteque. Amniculus enim, qui oppidum noſtrum permeat, alius plane eſt ab illo, qui *Erlebach* dicitur. Is enim e fonte, in uilla *Bûrckenhôrdt* dicta, uno milliario a *Tabernis* noſtris remota, naſcitur, ac poſtquam eas pertranſiit, & per uillas aliquot alias cucurrit, *Tabernas*, quae in Nemetibus ſunt, defertur, & inde aquas ſuas Rheno miſcet. Hic uero, *Erlebach* uocatus, e fonte inter uillas *Ober-Schlettenbach* & *Forder-Weidenthal* (quae ditionis ſunt Leininga-Heideshemenſis) profluit, & per uillam *Erlebach* (cui nomen dedit) ac *Nieder-Schlettenbach* delapſus, non Rhenum, ſed *Lutteram* ſiue *Lutram* (die *Lauter*) ingreditur. Incolis certe loci, quos hic iure audiendos eſſe, uix negaueris, ille noſter ἀνώνυμος eſt.

id fuerit ac poteſtate. Sed enim, cum non aliorum fuerit ſub imperio (quantum quidem ex annalium monumentis mihi cognitum eſt) quam eorum, quorum dominatui Bipontum ſubiectum, obnoxiumque fuiſſe modo audiuiſtis; ſatis erit, ne ueſtra abutar patientia, paucis repetere, uetuſtiſſimis id temporibus paruiſſe *Comitibus Bipontinis*; ab his in *Domus Palatinae* Septemuiralis ueniſſe dominium; in hac *Stephano*, *Ruperti* Caeſaris filio, una cum *Biponto*, *Hornbaco*, aliisque poſſeſſionibus, in auiti patrimonii partitione, ceſſiſſe; ab hoc uero filio *Ludouico*, qui familiam, ut audiuiſtis, *Bipontinam* condidit, una cum terris Veldentinis, ceterisque iam ſaepius dictis locis, transſcriptum fuiſſe; cuius ſereniſſimis poſteris uſque ſubditum ſit *.

Non minori autem his, quam illis, curae fuiſſe, nolim dubitetis. Vt enim Comitibus Bipontinis, *Eberhardo* & *VValramo*, debet, quod ſaeculi XIII anno ſexto & octogeſimo ** ciuitatis iura ab *Rudolfo I* Caeſare,

* Confer huc, ſi placet, quae in adnotationibus ad orationem de oppido *Hornbaco* p. 22 & 23. habentur. Nec enim rem, ſemel iterumque iam dictam, ſolemnibusque teſtimoniis firmatam, multis hic repetere iuuat.

** *Bernhardus Hertzog* quidem lib. V *Chronici* laudati p. 37 uult, id anno MCCLXXXV, die XX Iunii factum eſſe. Sed errat. Tabularum enim, quibus iura ciuitatis ab eo obtinuit, clauſula diſerte teſtatur actum, id anno, quem dixi, *LXXXVI, d. XI Kalend. Maii*, *in caſtris apud Lutterburg*. Adi modo (mordet enim iam carceres) Spicilegium II *Tabularum ueterum nondum editarum*, quod fecit *G. C. Ioannis*. In eo enim inter *tabulas miſcellas* habetur.

ſare, auguſtiſſimae, quae etiam nunc floret, domus Auſtriacae ſundatore, tam feliciſſimo, quam glorioſiſſimo, obtinuerit: ita Sereniſſimis *Ducibus Bipontinis* alia inter hoc maxime acceptum fert, quod e bellicis calamitatibus, quibus, ut breui intellecturi eſtis, ſemel iterumque uexatum, & tantum non ad incitas redactum fuit, ſenſim emerſerit, priſtinamque recuperauerit ſpeciem; tum uero hodie, arce *Neucaſtell*, ordinaria quondam Praefecti ſede, cum temporum iniuria, tum aeuo prolapſa, praefecturae gaudeat honore ac praerogatiua.

Exſpectatis autem, ſicut uideo, ut, habita ordinis recepti ratione, ex aedificiis, quae habet, publicis potiora deſignem. Aduertite igitur; Primum, quod e ciuilium & profanorum genere unum hic commemorandum cenſeo, arx eſt, ſitu tum peramoena, tum multis aliis dotibus commendanda; ut mirum haud ſit, quod Sereniſſimis, quibus adhuc ſubfuit, Principibus ſubinde placuerit, in ſeceſſum eam, uindemiarum praeſertim tempore, deligere. Ad eos ipſos autem refert, quod iis oblectamento fuerit, ciuitati uero decori, ornamentoque. Ab *Ludouico* enim *II*, *VVolfgango*, & *Ioanne I*, laudatiſſimis Principibus, uario acceſſionum atque elegantiarum genere exculta fuit *;

* Ab antiquo ſcilicet iam hic *Burgum* ſtetit, ſiue arx, quam ueteres *Gemini Pon-*

& quum incendio, aliisue belli casibus pristinum amisisset spendorem, eam, quam nunc prae se fert, dignitatem a Serenissimo nostro, quem DEVS seruet! Principe accepit: Is enim e squalore eam non eduxit modo, uerum etiam meliorem ad usum, & maiorem magnificentiam multo sumtu reuocauit*. Adhaec horto perquam amplo, iucundoque instruxit.

Tem-

Pontis Comites si non statuere, tamen rebus ita ferentibus inhabitarunt. In tabulis enim, quibus *Eberhardus* & *Lisa* Tabernas nostras *Ruperto* praeseniori anno MCCCLXXXV partim uendiderunt, partim obtulerunt; necnon in iis, quibus de securitate Burgensi, in terminis Tabernaemontanis custodienda, cum *Ruperto*, cognomine *Duro*, pactionem anno MCCCXC fecere, diserte legas; *Bergzabern unser* Burg *und Stat*; item *Stadt und* Burg *Bergzabern*. Confer *Ioannis* Specimen I *Animaduersionum in historiam* Tolneri *Palatinam* n. III p. 13 & 18. Veterem hanc arcem Serenissimi, quos dixi, Principes subinde refecerunt, & nouis accessionibus amplificarunt. *Beutherus*, scriptor domesticus, *narratione de Ducibus Bipontinis* uernaculo sermone scripta p. 10; *Dieser Hertzog* Ludwig *hat die Schlösser Kirckel, Novelden, Lichtenberg, Landsperg*, Bergzabern, *Neucastel zum theil von neuem erbavvt*; & p. 14; *Dieser Hertzog* Wolfgang *hat drey Stöck im Schloss zu* Bergzabern *und das Amptbaus zu* Bergzabern *gebavven*. rursum p 19; *Dieser Hertzog* (Ioannes I) *hat einen Stock im Schloss zu* Bergzabern, *samt dem Vhrvverck, auch etvvas an den Schlössern Kirckel, Lichtenberg, und Novelden verbessert, und ausgebavvet.*

* Anno quidem MDCCXXV. Id quod posteritatis memoriae sequenti proditum inscriptione, quae supra primariam illius portam, carmini de horologio modo dicto, uersibus latinis & germanicis scripto, subiuncta, litterisque auratis lapidi incisa est:

ANNO MDLXI HAT HERTZOG *WOLFFGANG* PFALTZGRAFF BEY RHEIN, HERTZOG IN BAYERN, DIESES SCHLOSS ANGEFANGEN ZV BAVEN, DESSEN SOHN ABER

IO-

Templorum uero, ut & ea quoque attingam, duo ſunt; unum peruetus, *S. Martini* memoriae & honori quondam dicatum, quod ciuibus atque incolis Romano-Catholicae & Reformatorum religioni addictis patet: alterum nouum, & Sereniſſimi Principis noſtri permiſſu ante decem hoſce annos demum exſtructum; quod incolarum, qui Auguſtanam Confeſſionem ſequuntur, proprium eſt. Antea enim in coenaculo quodam arcis, hunc ad uſum aptato, ſacris operari conſueuerant.

At nunc calamitates, bellique iniurias, quibus olim *Tabernas* noſtras *montanas* uti grauiter afflictas, ita benigne a Principibus ac Dominis ſuis, Sereniſſimorum

IOHANNES I MDLXXIX ZV ENDE GEBRACHT. NACHDEM ABER SOLCHES DVRCH DIE DARAVFF ERFOLGTE VIELFALTIGE KRIEG VERWVSTET VND ZERSTOERET WORDEN, HAT DASSELBE NACH ERLANGTEM BAADISCHEN FRIEDEN, VND IN ANNO MDCCXIX ANGETRETTENEN HIESIGEN LANDTS-REGIERVNG, DER DVRCHLEVCHTIGSTE FVRST VND HERR, HERR *GVSTAV SAMVEL LEOPOLD* PFALTZGRAFF BEY RHEIN, IN BAYERN, ZV GVLCH, CLEVE VND BERGEN HERTZOG, FVRST ZV MOERS, GRAFF ZV VELDENTZ VND SPONHEIM, DER MARCK, RAVENSPERG VND RIXINGEN, HERR ZV RAVENSTEIN, RITTER DES ORDENS *STI HVBERTI*, HOCHGEDACHTEN PFALTZGRAFF *WOLFFGANGS* VHR-VHR-ENCKEL, WIEDER REPARIREN VND IN GEGENWERTIGEN STANDT SETZEN LASSEN, SO GESCHEHEN ANNO MDCCXXV. Velim autem uerba, quod *Wolfgangus* arcem hanc exſtruere coeperit, cum grano ſalis accipias, & ex eis, quae dicta ſunt, interpreteris.

rum *Comitum Palatinorum* ſanguine proſatis, leuatas eſſe, paullo ante monui, breuiter percurram. Illas inter prima, quod quidem ego cognouerim, fuit, quam anno cIↄCCCCLV ſubiit. Cum enim diſſidia inter *Fridericum*, Palatinatus Septemuiralis tum temporis Adminiſtratorem, *Victorioſi* cognomento uulgo illuſtrem, & *Ludouicum*, Ducem Bipontinum, ſuborta in hoſtiles utrobique machinationes exceſſiſſent, ille contractis copiis eas circumſedit, ratus, ut Princeps erat nec conſilio nec manu ſegni, rationibus ſuis nil aptius eſſe, quam praeſentes nocendi uires hoſti adimere. *Ludouicus* enim urbem milite copioſo firmarat. Multum autem tum damni fecit, tam in agris, quam hortis & uineis, quin aedibus ac moenibus ipſis. *Fridericus* enim per quatuor & uiginti dies multis eam operibus oppugnauit, ac tandem murorum parte deiecta, portarumque una refracta, toto cum agmine in eam ſeſe intulit. Depopulatione tamen & caede, quod locus cognati Principis erat, ſuos abſtinere iuſſit*: quin *Ludouico*, cum pacem miſſis legatis peteret,

* *Trithemius* in *Chronico Hirſaugienſi* ad an. MCCCCLV p. 429; Fridericus *magnum ſuorum adunauit exercitum*, & *oppidum* Bergzaberen, *ubi Dux* Ludouicus *praeſidia locauerat ſua*, *obſedit*, & *diebus XXIV fortiter impugnans*, *tandem in feſto* S. Tiburtii *Martyris expugnauit* & *cepit*. Quibus uerbis *Marquardus Freherus* in *Hiſtoria Belli Bauarici*, quam totam ex parte II *Chronici* iſtius, ſua aetate nondum publici iuris facta, conſarcinauit, ac uolumini *Scriptorum rerum Germanicarum* alteri inſeruit p. 330, editionis Struuianae, hos ex anonymo poeta ſubiunxit uerſus:

Plan-

teret, urbem ipsam hac conditione restituit, ut uerbis conceptis polliceretur, Palatinatui Septemuirali in posterum

Plantis dum calcas nudatis, sancte Tiburti,
Horrendas prunas, Bergzabern *uiribus intras*
Ecce Palatine Comes *inuictissime portas.*

Paullo fusius *Paulus Hachenbergius* lib. III uitae *Friderici Victoriosi*, ad annum eundem: *Ibi* Palatinus *animo commotior, ad uindictam consurgit, & contractis undique copiis ad* Tabernas Montium *oppugnandas procedit. Sita urbs est in uicinia* Weissenburgi, *sicut non magna, ita munita uastis uallis & altitudine moenium, insessaque ualido praesidio; nam hic robur & florem militiae suae* Bipontinus *posuerat. Ad Rhenum usque* Palatinus *stationes suas extendit, uallum excitatur incredibili celeritate, & circa urbem ducitur, multi anfractus ad moenia instituuntur, fossae cratibus, uirgultisque contabulantur, nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur. Mittuntur ad Spirensem ciuitatem litterae, ut frumento, commeatuque castra prouideat; simul queritur Princeps, hostes in urbem recipi, & arma, annonamque diuendi iis, quod se ex Palatino exercitu uenire, falso ementirentur; rogat, nullum intra moenia sua admittat, nisi qui litteras nomine & sigillo Electoris Palatini munitas exhiberet. Inter haec & Princeps, ne segnis sederet tantum ad urbem, equitatum in circumiacentem agrum mittit, qui uillas passim uastauit, & praecurrentes pabulatum hostes secundis aliquot uelitationibus compulit in siluas, & non minus magnum numerum occidit: quo factum est, ut manus hostium in omnem occasionem diducta, ad soluendam obsidionem inhabilis esset. Iamque uicesimus quartus oppugnationis dies erat, quum impetu ex omnibus castris facto, non modo ad muros se constipauit miles, sed etiam per deiectas moenium ruinas emersit. Ibi ex omni parte relictis stationibus fugere oppidani, & pauore omnia miscere; caedi inde portas & refringi, signa Palatina toto cum agmine in urbem inferri. Sed direptione & caede, quod cognati Principis fuisset, uictor abstinere iussit. Hac urbis primariae amissione omnis ferocia excidit* Bipontino, *ut legatos supplices ad* Palatinum *mitteret, & de finiendo bello uerbis humilibus ageret. Neque pacem abnuebat* Palatinus, *facilis finire iram, quum subtrahere forti turbulentoque homini inuitamenta temeritatis cuperet, eumque beneficiis continendum putaret. Ictum foedus fuit, &* Ludo-

ſterum neque ui, neque conſiliis unquam ſe obfuturum eſſe.

Saeculo ſequenti, cum agreſtes, anno ſupra uiceſimum quinto, communi ſeditione excitati, crederent, omne dominorum iugum ſe, ſociatis armis, excuſſuros, & quam foediſſime tumultuantes innumera paſſim crudelitatis exempla darent, una cum pluribus aliis urbs haec noſtra in praeſentiſſimum uenit diſcrimen. Agmen enim, quod a rotunde tonſis capillis *tonſile* uulgo uocabatur, & eam ſuae fecit poteſtatis, & inſedit; ciuibus atque incolis in uniuerſum omnibus metu, terroreque, nimium quantum, perfuſis & attonitis. Satis enim ſuperque uidebant, quantis in malis iacerent; nec dubium, quin in iſtis periiſſent, niſi perdita iſta perduellium manus, audita ſuorum ſtrage, properato domum ſe proripuiſſet *.

Hoc

douicus *uerbis iurauit conceptiſſimis, ſe ab armis diſceſſurum, & Palatinatui neque ui neque conſiliis unquam obfuturum. Ita poenitenti reddita urbs, ſed modicus ager cis Rhenum ademptus fuit.* Dum addit, inter pacis conditiones fuiſſe, ut agri quadam in ſtrata montana parte *Ludouicus* decederet, *Bernhardum Hertzog* ſequitur, errans errantem. Quod enim ſubſequentibus annis contigit, hic lib. I *Chronici Alſatiae* cap. LVII p. 107 perperam huc trahit. *Haec* illi. Vnde ſatis patet, corrigendum eſſe *Zeilerum*, dum l. d. *Fridericum* quinque hebdomadas & tres dies *Tabernas* noſtras circumſediſſe atque oppugnaſſe tradit.

* Videantur *Hubertus Thomas Leodius* & *Petrus Crinitus*; quorum quidem *ille* in *ſeditionis ruſticanae hiſtoria*, tomo III *Scriptorum rerum Germanicarum* a *Frehero* editorum p. 291 breuiſſimis rem perſtringit; *hic* uero, tomo

Hoc erepta periculo, in profundum quaſi omnium miſeriarum deiecta fuit miſera haec urbs, cum bellum triginta per annos in ſe ipſam aleret ipſa Germania. Praeterquam enim, quod modo ab inimicis, modo ab amicis oppreſſa, ſpoliata, exinanita fuit, famis praeterea, &, quae eam comitari plerumque ſolet, peſtilentiae tam graui flagrauit incendio, ut, ciuium & incolarum numero ad pauciſſimos redacto, forum ipſum gramine obſitum eſſet, dumisque.

Tandem, quid in infelicitate extremum eſſet, experta fuit, funeſto illo, quod ab anno ſaeculi ſuperioris LXXIII Galli Germaniae rurſum intulerunt, bello. Tum enim ab iis anno cIↃIↃCLXXVI, miſſa ad illam inflammandam Philippiburgo equitum deſultoriorum, rectius fortaſſe dixerim, incendiariorum, turba, paene tota in cineres redacta eſt *.

Ceteras difficultates, expilationes, acerbitates, quas ſequentibus annis, cum Galli, pace Neomagenſi & Ryſvvicenſi inique rupta, binis uicibus bellum his in oris

tomo eodem p. 252 paullo fuſius his recenſet uerbis: *Hoc agmen tonſile*, *—tandem* Annweiler & Bergzabern *iam oppidis, ſuam in poteſtatem redactis, Thymopolitano exercitui, ut diximus, iuncti, audita fratrum ſuorum ſtrage, domum ſe proripuit.*

* Contigit id tempore natalitiarum Domini feriarum, circa noctem concubiam. Conf. *Theatrum Europaeum* parte XI p. 984, & ex eo *G. C. Ioannis* appendicem poſteriorem *ad* Parei *hiſtoriam Bauarico-Palatinam* p. 479.

oris circumferrent, ſemel iterumque ſuſtinuit, de conſulto lubens praetermitto.

Geſtit enim animus, poſtremum orationis meae caput perſequi, & uobis uiros, quos, tanquam alma praeſtantiorum ingeniorum mater, edidit, doctos, maximeque eruditos ſtrictim ob oculos ſiſtere. Praetereo autem *Ioannem Thomae, Nicolai Thomae*, dioeceſis Tabernaemontanae eccleſiaſticae Inſpectoris ſiue Ephori filium, nec non *Nicolaum Friſium*, liberalium artium Magiſtrum, ambos Lycei Hornbacenſis Profeſſores*. Neque enim editis in lucem ingenii aliquibus mo-

* Quorum *ille* quidem Witteberga, ubi liberalibus ſtudiis operam dabat, litteris publicis Hornbacum arceſſitus, an. MDLIX d. XXI Iun. quartae Claſſi praefectus fuit: quam cum fideliter, una cum paedagogia, adminiſtraſſet, an. MDLXI *Hilſpachio* ſucceſſit, ſecundae Claſſis Profeſſor declaratus. Auctis poſtea penſis ſcholaſticis anno MDLXXV Rectori in Claſſe prima adiunctus eſt. Miſſis tandem laboribus ſcholaſticis, Biponti *Ioanni I* Duci a bibliotheca fuit; qua etiam in ſtatione an. MDCII d. XI Sept. uiuendi finem fecit. Circa an. MDXCVI neſcio quid conſilii de *Pſalmis* ſecundum *Lobvvaſſeri* uerſionem in latinam linguam transferendis cepiſſe uidetur. Saltim, ut ita coniiciam, facit *Iſaacus Cramerus*, curiae tum Gymnaſii Hornbacenſis tertiae Profeſſor, his ad eum uerbis, in epiſtola a. d. d. XVIII Martii ſignata, uſus: *De Lobwaſſeri uerſione nihil accepi, nec uidi, neque an huiusmodi aliquid in lucem prodiit, ſcio. Non autem exiſtimo, quod pace tua dixerim, tanta facilitate in latinum ſermonem transferri poſſe, qua in uernaculum noſtrum; hanc maxime ob cauſſam, quod metra Romana id non admittunt, niſi quis noua genera carminum uelit in theatrum producere; quam laudem tibi, clariſſime uir, tantum abeſt, ut inuideam, ut, ſi ulla ratione poſſem, pro meo modulo augere, nihil in me deſideraturus ſis.*

Hic

monumentis nominis ſui famam poſteritati prodidere, rati, praeſtantiſſimum gloriae genus eſſe, diligentia, fide, docendique dexteritate officii ſui rationes conficere. In his autem, qui ſcriptis publico iuri conceſſis inclaruere, agmen ducit *Cunmannus Flinsbachius*, uir pietate, doctrina, ſingularique animi moderatione in paucis ſuo tempore conſpicuus; qui ſuis hiſce uirtutibus meruit, ut uix quinque & uiginti annos natus, Biponti eccleſiae *Symmyſta*, & ceterarum in hoc Ducatu Antiſtes conſtitueretur. Quo quidem in munere per duodeuiginti annos induſtria, conſtantia in uerae religionis profeſſione, uitae integritate, praeſtabilique in negotiis ſacris, iisque perarduis, prudentia omnes laudis numeros tam curate impleuit, ut Principi gratus, collegis & auditoribus ad unum omnibus in deliciis eſſet. Reliquit *Chronologiam, Genealogiam Chriſti*, & id genus alia *. Proxime ſequitur *Conradus Hubertus*, uir

Hic uero, Argentorato, ubi Magiſtri conſequutus eſt honores, redux, *Iodoco Rhodio* an. MDLXXXVI ad regendam ſcholam Trarbacenſem euocato, ſurrogatus, claſſem quartam, una cum paedagogia, ab d. XVIII Iunii uſque ad d. XX Maii anni ſequentis LXXXVII, moderatus eſt; quippe quo *Tabernas montanas* conceſſit, conſtitutus ibidem eccleſiae patriae Diaconus; cui cum per tres inſeruiiſſet annos, an. MDXCI Spiram abiit, Eccleſiaſtes illic factus.

* Qui plura uelit, adeat *Melchiorem Adami* in uita *eius* p. 218 & ſeq. & qui eam in compendium redegere, *Paulum Freherum* in *Theatro uirorum eruditorum* p. 226, nec non *Caſparem Sagittarium* cap. XV *Introductionis in hiſtoriam eccleſiaſticam* § II p. 324 & ſeq.

ad laudem insignis. Argentorati enim *Buceri*, grauissimi, doctissimique illius temporis Theologi, familiaritate per integros octodecim annos usus, domesticaque illius disciplina imbutus, in *D. Thomae* aede sacram ascendit cathedram. E qua cum plures annos docuisset, aetate, consilioque grauis, Deo lucis usuram reddidit*.

Eodem ceteroqui, quo naturae concessit, anno Ga-

Chronologia, quam ab orbe condito usque ad annum Christi MDLII confecit, primum edita est Wittebergae an. MDLIII, dein Argentorati an. MDLXVII. *Genealogia* uero *Christi* tabulis explicata, Basileae primum prodiit ex officinia Oporini, & dein an. MDXCVII e typographeo Königii; quam dum *Boeclerus* cap. V *Bibliographiae Criticae* § XXVI p. 173, nescio qua ductus ratione, cum *Henningesii*, *Albizii*, *Reusneri*, *Rittershusii* operibus genealogicis, unam in seriem compingit, auctorem male *Gommannum Flinsbachium* uocat.

* Videatur *Michael Philippus Beuther* sectione II libri, *Wahrhafter, gründlicher Bericht von der zu Strassburg anno 1598 in druck ausgegangenen veränderter Kirchen-ordnung* inscripti, § VIII p. 229 & 230, *Albertus Meno Verpoortennius* § XVII *Commentationis de* Martino Bucero *historicae* p. 51, & § XLI p. 186. Dignus certe *Bucero* uisus fuit, quem alios inter testem adhiberet, quum an. MDXLVIII Augustam iussu publico accitus, d. XXIII Ianuarii ultimae uoluntatis suae tabulas ederet, uid. *Beuther* l. d. § VII p. 113. Quod confessioni tetrapolitanae singulari inhaereret animi firmitate, haud leui cum *Ioan. Marbachio* contentioni implicitus fuit; quin in suspicionem incurrit, ac si in dogmate περὶ τοῦ δείπνου κυριακοῦ cum Caluino faceret: qua tamen ante obitum, uel ipso *Marbachio* teste, sese exsoluit. Vid. *Ludouicus Rabus* in epistola an. MDLXXVII d. XXVII April. ad *Marbachium* data, quae CCXXIII est partis IV *epistolarum theologicarum* a *Fechtio* editarum, p. 572. Vita autem excessit an. MDLXXVII.

Gamalielis ſui optimi, *Buceri*, ſcripta Anglicana unum in uolumen redacta, euulgauit*.

Hos excipit *Ioannes VVolfius*. Quem ſi ſummum patriae ſuae decus atque ornamentum dixero, minime gentium errabo. Cum Dolae in Burgundia licentiam ſummos in utroque iure honores petendi inſigni cum laude nactus eſſet, & paullo poſt in Germaniam reuerſus Spirae Nemetum magnam, cauſſis ſtudioſe defenſis, nominis conſequutus eſſet celebritatem, a Principe Electore Palatino commendatus, Adſeſſorum in ordinem aſcendit; e quo tamen non longe poſt ad armatam pertractus eſt militiam. *VVolfgango* enim Duci, nunquam ſine ſumma honoris teſtificatione a nobis nominando, cum exercitu in Gallias profecturo, ſuam, maximo expetitus opere, operam addixit. Quam cum ei, tum filiis ſereniſſimis, eo mortuo, abunde praeſtitiſſet, a *Philippo Ludouico* & *Ioanne I* fratribus, grauiſſimis negotiis adhibitus, & ad Angliae Reginam ſecundum, ad Poloniae Regem ſemel, arduis maxime de rebus, miſſus fuit. Poſt a *Carolo*, Marchione Bada-Durlacenſi, in ſanctiorem allectus ſenatum, & municipio Mündelsheimenſi praefectus, omnem de ſe ſpem laudabiliter ſuſtinuit, ſi non

 uicit,

* Viſum quidem nonnullis, quaſi fide fluxa ea collegerit, edideritque: quibus tamen *Verpoortennius* laudatus l. d. § XLI reſpondit, eumque ab iniquiore & triſtiore eorum cenſura liberauit p. 183 & ſeqq.

uicit, & ab filiis eius semel iterumque ad aulam Caesaream delegatus, ipsi *Rudolfo II* Imperatori & fidem & prudentiam quam maxime probauit. Tandem uiribus exhaustis, rude donatus, Heilbronnam, urbem imperialem, secessit, ac morbo repentino anno MDC correptus, die XXIII Maii placide exspirauit *. Conscripsit *Clauem historiarum: Roberti* item *Gaguini rerum Gallicarum annales*, nec non *Alberti Crantzii Chronicon regnorum aquilonarium* recudi curauit **: tum uero praestantissimum *rerum memorabilium* opus confecit, atque eodem, quo obiit, anno Lauingae suis sumtibus prelo submisit ***. Percelebri huic Iu-

* Confer huc uitam eius, quam *Melchior Adami* in *uitis Iurisconsultorum* e panegyrico *Gregorii Kollvvagen* dedit, p. 156 & seqq.

** *Clauem historiarum* edidit an. MDLXXIV, eamque *Friderico*, Duci Würtenbergico, inscripsit. *Gaguini annales rerum Gallicarum*, uiri clarissimi, *Hermanni Dieterici Meibomii*, iudicio, ualde insignes, cum exempla eorum desiderarentur, Francofurti an. MDLXXVII preli beneficio repetiit; *Crantzii* uero *Chronicon rerum aquilonarium* cum praefatione sua Francofurti anno MDLXXV (quam editionem optimam esse censet *Nicolaus Petrus Sibbern* cap. I *Bibliothecae historicae Dano-Norvvegicae* § XI p. 30) & rursum an. MDLXXXIII, quam *indicu Iacobi Ziegleri*, Matheseos in academia Vpsaliensi Professoris, *Scondia*, & *Henrici Ranzouii* duobus libris *de bello Dithmarsico* a *Friderico* II, Daniae Rege, & Holsatiae Ducibus, *Ioanne* & *Adolfo*, an. MDLIX gesto, subiectis, auxit.

*** Quo etiam duobus tomis, formae maioris, prelo exiit. Recusum postea Lipsiae anno MDCLXXI; sed admodum mendose. Millenis sphalmatis typographicis ultimam hanc editionem refertam esse, *Iacobus Fridericus Reimmannus* parte II *Isagoges in historiam litterariam Germanorum*:

Iurisconsulto temporis ratione proximus est *Iacobus Theodorus*, ab oppido hoc nostro, solo suo natali, uulgo *Tabernaemontanus* cognominatus. Qui, cum *Hieronymi Tragi*, praeceptoris sui, institutione, proprioque ingenii instinctu animum ad artem salutarem applicuisset, medicinam non solum apud plebeios, sed Principes etiam uiros quam felicissime exercuit. Fuit enim a cura corporis *Ludouico*, Septemuiro Palatino, *Marquardo*, Episcopo Spirensi, *Adolfo*, Comiti Nassouio-Saraepontano. Egit etiam Physicum, quem uocant, ordinarium urbis Vangionum & Gymnasii, quod tum prope eam floruit, Neuhusiani. Posteritatis bono rem medicam pluribus libris foras editis promouit. Inter quos *Herbarium*, quod multo labore, usuque congessit, copiosissimum*, & *Hydro-*

C 3 *dro-*

norum, quaestione CLXVII p. 271 scripsit. Ceterum non sine utilitate illud legi, censet *Caspar Sagittarius* cap. XXVIII *Introductionis in Historiam ecclesiasticam* § V p. 770, tametsi non diffiteatur, quod naeuis haud careat, & multis, praecipue in ipsis nominibus & aetate Scriptorum ueterum, hallucinationibus.

Quod alioquin *Guilielmus Crovvaeus* in *Elencho scriptorum* p. 239 eum non satis accurate a *Ioanne Wolfio*, Tigurino, sacrarum litterarum in schola patria Professore; *Henningus* uero *Witteniui* tomo I *Diarii Biographici* ad an. MDCXVI lit. N 1 *a*) a *Ioanne Wolfio*, Marburgensi, Medicinae in academia patria P. P. Archiatroque Hassiaco, distinxerit: *Ioannes Henricus Boeclerus* denique cap. XXVII *Bibliographiae* laudatae § V p. 250, cum *Hieronymo Wolfio*, Oetingensi, confuderit, *Ioannes Mollerus* iam notauit *Homonymoscopiae historico-philologico-criticae* sectione II cap. VI § CXLI p. 732, & in addendis praefationi subiunctis.

* XXX annorum opus, uiuis herbarum, fruticum, florum, frugum, & alio-

dro-thesaurus ille, uernacula *VVasserschatz* *, omnium sunt praestantissimi. Qua occasione non possum, quin memorem, quod celebratissimarum *acidularum Sualbacensium* usum, postquam uires earum ipse forte fortuna suo in corpore feliciter expertus erat, primus inuenit, aliisque commendauit, tot sane laudibus ob hoc ipsum celebrandus, quot illae usque huc mortalibus uarie aegrotantibus ualetudinem restituerunt, aliis uero firmarunt **.

Super-

aliorum additis iconibus, simulque qualitatibus eorundem ac uirtutibus explicatis; quod quum praestantia sua se commendaret, semel iterumque prelum subiit, & a *Caspare* & *Hieronymo Bauhinis*, Medicis praestantissimis, botanicesque praeter ceteros gnaris, auctum & locupletatum est. Quorum cum accessionibus postremum, ni fallor, an. MDCLXXXVII Basileae lucem uidit.

* In lucem prodiit an. MDCV, 8, hoc titulo: *Nevv Wasserschatz, das ist, von allen heylsamen metallischen, minerischen Bädern und Wassern, sonderlich aber von dem neuen erfundenen Sauerbrunnen zu Langen-Schvvalbach* cet.

** Qua occasione id factum sit, pluribus ipse dicto libro cap. III p. 22-35 memorat. Summa huc redit. Quum anno MDLXIX, *Philippi Brendel* ab *Homburg*, Vicedomini Moguntini, rogatu, cocum *Macro-Sualbacum* iuisset, ut ex acidulis loci, illarum, quae uulgo der *Weinbrunn* dicebantur, qualitates siue ἐνεργείας gustando exploraret, ex inopinato sensit, cum uix heminam illarum subbibisset, se malo (quod anno superiori Baccarae, Episcopatus Metensis oppido, uenenato potu infectus, contraxerat) eoque sat graui (illius enim reliquiae statis quotidie periodis recurrebant) aliqua ex parte leuari. Spem igitur ingressus, diuina adspirante gratia fore, ut, particulis reliquis earum potu propulsatis, reconualescat, Francofurti ad Moenum (ubi tum cum Hero suo, Antistite Spirensi, in conuentu Ordinum Imperii agebat)

Supereſt, qui iisdem inſtitit ueſtigiis, *Henricus Fabricius*, Tabernis montanis anno MDXLVII, feliciſſimis ſideribus, in lucem editus. Eleganti uir ingenio, bonisque omnibus diſciplinis ornatus. Qui non ſolum id habuit honoris, ut anno MDLXXII, cum Spirae Nemetum in comitiis legatorum Belgicorum interpretem ageret, ab ipſo Caeſare *Maximiliano* II lauru poetica coronaretur, ac biennio poſt ex Italia redux Baſileae artis medicae renunciaretur Doctor: uerum etiam ſpartam, quam ornaret, ſimul ac ſereniſſimo Duci *Ioanni* I praeſentem ſe ſtiterat, conſequeretur, Phyſices & Matheſeos Profeſſor eodem, quo rediit, anno Hornbaci conſtitutus. Quam cum ſingulari obiret fide, dexteritateque, anno LXXVI *Chriſtophori Hilſpachii* Rectoris in locum ſuffectus eſt; ab ipſo ſereniſſimo Hero & nutritore d. II Martii, ſchola praeſente, ſolemniter muneris in poſſeſſionem immiſſus. Mortem oppetiit anno MDCXII, die XXVIII Martii; cum ab ſcholae gubernaculis iam anno MDC ineunte receſſiſſet *. Scripſit orationem *de*

bat) ſalſulis his exitu prorſus optabili uſus eſt. Senſim enim toto corpore ſalubritatem percepit, ac finito, quod curationi praeſtituerat, tempore, ſanitatem ex uoto recuperauit. Earum itaque nim, quam ſuo in corpore tam feliciter expertus erat, & aliis commendauit. Vnde poſt id ſtatim medicati huius fontis inualuit uſus, ſummis, imis, iisque non uno genere morbi afflictis, *Sualbacum*, illarum ut potione ex incommoda ualetudine emergerent, gregatim confluentibus.

* Cum recederet, ſequens, quod huc afferre non ab re erit, tranquillo, moderatoque animo luſit epigramma: *Hae*

de uita, obituque Hieronymi Tragi *Medici & Canonici Hornbacensis* *; quam tamen in publicum haud dedit **; tum *uaria carmina & epigrammata* ***.

Nullus autem dubito, quin id mihi nunc ultro sitis largituri, mereri omnino *Tabernas* nostras *montanas*, ut propter haec sua, quae recensui, decora atque lumina, in eis numeretur oppidis, quae fecundae quaedam, felicesque magnorum ingeniorum exstitere procreatrices.

Ego

Hac Rectoratus insignia figo tabella,
Has honor ad tabulas pendet, onusque meum.
Ad tabulas, inquam, quarum tenet altera leges,
Alteraque officii pensa diurna mei.
Vos huc, Collegae, *celeri contendite cursu,*
Cui tabulae cedent, illico Rector erit.

* Vid. *Adami* in *uita* eius p. 187, *Fabricius* centuria I *Fabriciorum* p. 37; qui tamen memoria uacillauit, dum ibi *Trago* Medici *Vratislauiensis* titulum adscripsit.

** *Melchior* interim *Adami* magnam partem in uita *Tragi* suas in areolas deriuauit, p. 32 ingenue fassus, ad eam conscribendam se hac oratione usum esse.

*** Quorum quidem centum, cum *Ovvenianis*, Francofurti anno MDCXIV, 12, recusa memorat laudatus modo Polyhistor *Fabricius* centuria II *Fabriciorum* p. 50.

Ceterum edidit etiam *Gratulationem ad* Ioannem Casimirum, *Comitem Palatinum Rheni, &* Elisabetham, Augusti *Saxoniae Ducis & Principis Electoris, filiam*, Heidelbergae anno MDLXX.

Haec summatim. Plura dabit, si plura uelis, quem modo citaui, *Melchior Adami* l. d. in *uita* eius: quam, ut alibi iam dictum, *G. C. Ioannis* in *Heptade III* epistolarum *Spicilegio tabularum ueterum nondum editarum II* subiunctarum, n. IV, tum suppleuit, tum emendauit.

Ego uero, quod reliquum eſt, nec pro perpetua mea erga patriam urbem pietate omittere facile poſſum, a DEO OPTIMO MAXIMO, cuius prouidentia uti ciuitates ſurgunt, ita eiusdem benignitate ſtant incolumes, infimis peto precibus, ut eam non ſolum ab cunctis, quibuscum ſuperiore tempore conflictata eſt, incommodis ac difficultatibus deinceps benigniſſime prohibeat, ſed ex omni etiam rerum ſecundiſſimarum genere, hoc maxime afficiat beneficio, ut ea commendatione, quam a uiris doctis, intra moenia ſua natis, modo duxit, noſtra etiam aetate denuo efflorefcere incipiat, ciuesque adeo producat, qui, *Flinſbachiis, VVolfiis, Theodoris*, et *Fabriciis* ſimillimi, laudem ac gloriam per eosdem *Tabernis* noſtris partam, ſua quoque uirtute ac doctrina ſtrenue tueantur, augeantque cumulate; quod equidem hoc magis precor, quo minus Palatinae terrae eam amplius praeclarorum ingeniorum copiam effundere uidentur, quam olim feliciſſime effuderunt, cum & ſibi & aliis regionibus uiros quoſuis praeſtantiſſimos, & ad grauiſſima quaeque munia ac negotia praeclare adminiſtranda aptiſſimos ſuppeditarent.



D EMEN-

EMENDANDA atque ADDENDA.

p. 6 ỽ. 23, pro, *quem* tamen, l. *quos* tamen

p. 12 ỽ. 26, pro, *historia belli Bauarici*, quo titulo *Struuius* l. d. libellum perperam inſcripſit, l. *de rebus geſtis* Friderici *Victorioſi*; quippe quo eundem *Freherus* primum edidit.

p. 15 ỽ. 26, pro 984, l. p. 851.

Ceterum, ut hoc planius conſtet, quam afflicta, perditaque tum temporis fortuna *Tabernae* noſtrae fuerint, operae pretium nobis uiſum, uerba, quae in *Theatro Europaeo*, quod citauimus, hac de calamitate habentur, ipſa in medium adferre. Sic autem ibi: *Nachgehends haben ſie auch das Schloſs und Stäätlein* Berg-Zabern, *ſo ins Fürſtenthum Zvveybrücken gehörig, (ungeachtet ihnen die geforderte Contribution vom vorigen Iahr, und auf dieſes, biſs zu end des Martii voraus richtig bezahlet vvorden) vvieder gegebene Treu und Glauben überfallen, alle Einvvohner, keinen einigen auſgenommen, bis auffs Hembd geplündert, und ſonſt erbärmlich tractirt, darauff erſtlich ins Schloſs und Amt-Hauſs, folgends aber auch in alle privat-häuſer Feuer geleget, alſo daſs faſt alle Gebäude, biſs auff etliche vvenige, benebenſt allen Mobilien, Früchten etc. im rauch auffgangen. Vber dieſes ſind die armen Leute noch bedrohet vvorden, vvenn ſie nicht innerhalb 24 Stunden, des* Lieutenants du Roy, *vvelcher die Trouppen commandirt, hinterlaſſenen Ordre gemâs, die Stadt- und Schloſs-Mauren übern hauffen vverffen vvürden, ſi einer nochmaligen grauſamen Heimſuchung, und eines unfehlbaren Blütbads gevvärtig ſeyn ſolten.*

p. 18 ỽ. 31, pro *officinia* l. *officina*.

